ACTUARIUS PECCANS IN CAUSSIS APPELLATIONUM AUTORITATE ORDINIS ICTORUM PUBLICE...

Gustav Heinrich Mylius, Johann Caspar Seidlerus, Valenti Gonzaga



SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO

DOMINO

GVNTHERO

E QVATVOR S.R.I. COMITIBVS
PRINCIPI AC COMITI SCHWARZ-
BVRGI ET HOHENSTEINI, DOMI-
NO ARNSTADII, SONDERSHVSAE,
LEVCHTENBERGAE, LOHRAE
ET CLETTENBERGAE
RELIQVA.

DOMINO MEO LONGE
CLEMENTISSIMO,

SERENISSIME PRINCEPS,

DOMINE CLEMENTISSIME,



otum ferme percrebuit orbem de TVO, DOMINE, in bonas literas affectu, et de miranda plane clementia in earum cultores, qui se in tutissimum gratiae TVAE portum receperunt, fama. Hinc, licet ipsemet audaciam meam in consecrandis TIBI, PRINCEPS CLEMENTISSIME, his paginis levissimis, humillimae meae mentis interprete, ab initio accusarem, tamen spes, quam de TVA indulgentia ciues Tui non minus quam exteri quoque conceperunt, exceptionis instar,

quae

quae totam litem perimere possit, me absoluit. Tanto PRINCIPE dignum non est munus, quod TIBI, DOMINE, mente deuotissima offero, sed celsissimi honoris gradus, in quo diuina clementia TE collocauit et tenuitatis meae si rationem paululum habere non dedignatus fueris, mihi largieris clementissime, aut nullum aut hoc, siue huic simile, consecrandum TIBI fuisse munusculum. Chartacea nulliusque fere momenti solent esse, quae eruditis offerre integrum est, dona, quae, licet perfectissima sint, continent tamen semper nonnihil viris principibus si non indignum, certe inferius. Vnicum saltim est, quod summi TIBI-que, DOMINE CLEMENTISSIME, similes Principes non semper aspernari solent. Conatum scilicet approbandum censent offerentis, qui, si vires suffecerint, maxima quaeuis ad pedes ipsorum ferret, et modis omnibus obsequendi studium humillime declararet. Non itaque, PRINCEPS SERENISSIME, ex pretio paginarum pietatem meam meamque deuotionem aestimes, illud tamen clementissime tribuas mihi, vt quali quali modo animum TIBI subiectissimum exponere, et ardentissima pro salute TVA terris Tuis proficua maxime vota, perpetuos vitae meae comites, nunc publice effundere queat. Nunquam destituant TE, DOMINE CLEMENTISSIME, gloria perpetua, constans valetudo, euentus rerum felicissimi, summumque

que Numen TE in splendorem Serenissimae Domus SCHWARZBVRGICAE, in laetitiam atque solatium ciuium Tuorum, quorum salus ex TVA salute pendet, in praesidium literarum et earum cultorum, omniumque, qui in TVA clementia, TVO auxilio suam spem, suam fortunam reponunt. Felicissimum vero me rebor, DOMINE, si illud abs TE impetraro, vt gratia TVA TVOque praesidio aeternum frui, et TVAS virtutes, TVAM clementiam animo devotissimo venerari mihi liceat,


PRINCEPS SERENISSIME,

DOMINE CLEMENTISSIME,

NOMINIS TVI CELSISSIMI

CVLTOR HVMILLIMVS,

IOHANNES CASPARVS SEIDLERVS.



I.



Actuarius Iudicii, a quo prouocatur, verba et formulas prouocationis probe diſcernat, quo illum ipſum, quem appellans elegit, Iudicem recte percipiat. Saepius enim literae tum reuerentiales, tum refutatoriae ad alium, quam partes prouocantes putant, aut ordo Iudiciorum poſtulat, ſuperiorem, transmittuntur. Haec ergo regula tenenda eſt: aut prouocatio directa ad PROXIME ſuperiorem, et cognitio de iuſtitia grauaminum praefecto, quem iudex inferior pro ſuperiore agnoſcit, extra hunc caſum vero

Curiae

Curiae Prou. Sup. quae Lipſiae ius dicit, competit; aut ad QVEMCVNQVE ſuperiorem prouocatum, et ad eandem Curiam, et vlterius, vbi opus eſt, nimirum ad Senatum, aulicum apoſtoli cum actis ſunt transmittendi; quod ſi vero in genere ad SVPERIOREM appellatio interpoſita, Iudex inferior ad arbitrium ſuum vel ad Tribunal Curiae vel Senatus cauſſam a ſe dimittere poterit. Idem dicendum de Terris Epiſcopatuum Electoratus Saxoniae, in quibus Regimen ſuperiorem proximum repraeſentat. Sicubi autem actuarius, cum mens appellantis minus lucide apparet, circa formam apoſtolorum haereat, tutius denominandum eſſe Iudicem ſuperiorem ab illo poſtulabit, maxime vbi prouocatio alterna aut anceps adeſt.

II.

In quo ſaepius cauſſidicos errare deprehendimus, dum appellando *ſaltum* committunt, in eo quoque actuarios nonnunquam peccare videmus, vt relationem *per ſaltum*, quod ajunt, transmittant. Si quando enim ſchedula appellationis expreſſis verbis ad Curiam Prouincialem Lipſienſem, et non niſi in caſu reiectionis ad Regimen Principis directa, actuarii quidam nimium ſibi indulgent, et omiſſo intermedio hoc Iudice ſtatim ad Senatum rem, ob quam prouocatum

catum

catum fuit, referunt, reiectionem efflagitant, rationes illiciti saltus, quas ipsi sibi fingunt, quandoque adiiciunt, hoc ipso tamen contra iura et praerogatiuas Curiae nostrae grauiter committunt, ideoque graui admonitione superioris notati iactura expensarum vtplurimum licentiae suae poenas luunt iustissimas. Scilicet Ius appellandi PRINCEPS aeque ac beneficium instantiarum vbique saluum atque integrum esse iubet, cauet. Hinc, quae nostri seculi est felicitas, nouissimum huius beneficii regii extat documentum, dum omnes caussae iudiciales, quae hactenus coram Regimine Martisburgensi, quod ad praefecturas *Delitzsch*, *Zörbig*, *Dobrilugk* et *Finsterwalde*, tanquam Iudice primae et secundae instantiae ventilatae fuerunt, in posterum ex Decreto POTENTISSIMI AVGVSTI nostri in Curia Prou. Lips. sunt continuandae, ne pereant instantiarum commoda atque fructus.

III.

In Caussa Cambiali recte negligit actuarius prouocationes ad superiorem, his enim viam quodammodo praecludunt et Recessus Imperii de anno MDCLIV. §. CVII. et potissimum Lex Iudiciaria Saxoniae in Appendice §. XII. Debitor ergo, qui a Citatione vel contra arrestum appellat, nihil agit. An vero actuarius

peccet, qui prouocationem eiusmodi non a reo, ſed tertio quodam factam ſusque deque habet, quaeritur? Sane verba d. §. XII. Wenn ER gleich dawieder appelliren ſollte, debitorem ipſum indigitant, et cum alias in reſcriptis haec Clauſula: *remota appellatione* non de omni, ſed ea ſaltem, quae perſonam appellantis non egreditur, prouocatione accipienda ſit, obſeruantia teſte, interpretationem authenticam aliquomodo arguit extenſio ad quemcunque prouocantem facta. Rectius igitur actuarius, Principem de hoc dubio conſulendo, agit, maxime vbi intereſſe quoddam interuenientis, qui appellat, apparet, id quod in Concilio perpetuo huius Academiae haud ita pridem conclusum fuiſſe, teſtantur acta publica.

IV.

In reliquis cauſſis omnibus, vbi appellatio per reſcriptum cum Clauſula: ſich dawieder kein appelliren irren zu laſſen, remota, intuitu repetitae prouocationis a tertio factae ad ſuperiorem denuo referendum eſſe, illamque effectu ſuſpenſiuo non deſtitui omnes fere, qui iudicis perſonam ſuſtinent, credunt, nec aliud in foro et Curiis huc vſque obtinuit. Cum vero hac in re expreſſa legis publicae deficiat autoritas, et de abuſu beneficii ſalutaris tollen-

do

do cogitandum sit, a vitio saltem attentati liber erit actuarius, qui ad prouocationem saepius iteratam, mutata licet persona, in officio pergit, et tum demum in honorem Iudicis superioris, quae ab ipso gesta sunt, refert, modo neque praesens neque futurum adfuerit legitimum grauamen, sed caussa allegationis frivola.

V.

Peccat Actuarius, qui ante transmissionem Actorum tempus, quo notificatio ad redimendos apostolos per nuntium appellanti tradita fuit, haud annotat, et quamuis ex eo, quod in literis hisce dimissoriis nulla omissae solutionis mentio facta est, fatale haud neglectum, vel saltem fidem de pecunia prouocanti habitam fuisse praesumatur, certus tamen Iudex superior circa solennitates legales esse debet, aeque ac pars aduersa. Caeterum quod B. BERGERVS in Oecon. Iuris *L. IV. Tit. XXIIX. §. V. n.7.* asserit: licet appellans in termino redemtionis a Proto-Notario impetrauerit dilationem, appellationem nihilo secius desertae loco habendam esse; de eius veritate quoad vsum fori, et iustitiam merito dubitamus. Nam rationes quae sequuntur, his verbis: „Quia Proto-Notarius „quidem, in quantum de eius agitur iure, ap-

„pellanti impertire dilationem poteſt, minus „autem ea praeiudicare appellato, quo minus „appellatio deſerta eſſe dicatur, praeſertim, cum „publice interſit apoſtolos realiter in Termino „redimi, quo Lis maturetur, „ non per omnia in iſtum caſum apte quadrare videntur, cum certe in arbitrio Proto-Notarii ſit, an omnino gratis hoc labore perſungi velit. Temperanda igitur haec erit ſententia, et ad Caſum dilationis ipſius termini reſtringenda, quod facit B. BARTHIVS in Hodeg. For. *Cap. I. §. 80.* conf. Dn. DE WERNHER Obſ. For. *P. I. obſ. 14. P. II. obſ. 78.* B. GRIEBNERI Princ. Proc. Iud. *L. I. Cap. V. Sect. II. §. VI.* Cauere igitur debet actuarius, ne hac dilatione parti afferat, loco beneficii, praeiudicium.

VI.

Peccant Actuarii, qui apoſtolos reuerentiales abſque mentione grauaminum hodie concipiunt, et retentis actis vel parti prouocanti exhibent, vel ſuperiori, ſcilicet in eius honorem, vt formulae conſuetae ſonant; Adiicienda enim ſunt et momenta, quibus motus iudex deferendum eſſe cenſeat appellationi, ne Iudici ad quem facultas cognoſcendi tum quoad merita cauſſae, tum quoad eius ſtatum detrahatur, quo facto ipſi neceſſitas admiſſionis plane imponeretur, id quod ſaepius

saepius, vbi iustitia caussae et grauaminum deficit, non sine graui damno alterius, et protractione litis contingit; Qua de Caussa ante plurimos annos Potentissimus Legislator Saxoniae edixit, vt a Curia Prou. Lips. non nisi insertis rationibus, quae iudicium mouerint, et adiunctis actis publicis reuerentiales apostoli transmittantur.

VII.

Peccant quoque actuarii, qui nimis faciles se praebent in decernendis eiusmodi reuerentialibus, vel refutatorios quidem conscribunt, sed post verba appellatorii libelli ordine enarrata, nihil de suo addunt, nec dicta appellantis contrariis rationibus refellunt et infirmant. Ad hos actuarios an illud pertineat, quod iam laudatus B. BARTHIVS *Cap. I. §. LXXX. lit. d.* censet, aliorum esto iudicium, ita autem ille: *Saepe inferior Iudex a quo vel ex ignorantia Iuris, dum grauamina refutare nescit, vel ex negligentia et pigritia suscipere laborem hunc non vult, reuerentiales loco refutatoriorum dare solet.* et eodem §. *lit. n. Imo quandoque ex ignauia vel imperitia actuariorum grauamina refutare non valentium, quin et interdum fauore appellantium prae refutatoriis reuerentiales dantur ex persuasione illa, quod superior facilius appellationi, quasi ex Commendatione illius in Reuerentia-*

rentialibus et tacita approbatione, ſit delaturus. Nec ſilentio praetereundum reſcriptum Regium hoc ipſo anno ad Comitem de S. datum his verbis: Und nachdem wir ſo wohl aus dieſen als verſchiedenen andern von eurer Cantzley anhero erſtatteten Berichten wahrgenommen, was maſen dieſe in ſolchen ihren Berichten gröſten theils nur remiſſive auf die acta, und von denen Partheyen übergebene Schrifften, oder derer Beamten eingeſchickte Berichte ſich beziehen, als begehren wir, ihr wollet dieſe, daß ſie fernerhin ihre Berichte ausführlicher, und mit Recenſirung derer Appellations-Gravaminum, und beygefügten ohnmaßgeblichen Gutachten erſtatten ſollen, bedeuten.

VIII.

Actuarius peccat, qui poſt reiectionem appellationis friuolae mulctam vel reſtitutionem damni iniungit appellanti, de quibus remiſſoriales ſilent. Si enim Iudex ſuperior hanc temeritatem et malitiam in protrahenda cauſſa non coercuit, ſed ſimpliciter cauſſam remiſit, ad Iudicem a quo, huic facultas vlterius de hac calumnia cognoſcendi haud competit, et illi, quorum intereſt, damnum illatum ordinario modo poterunt exigere. Confirmarunt hanc ſententiam Dn. Scabini Lipſ. in cauſſa a Iudice Gleſinenſi

ſinenſi contra Mieſslern peracta M. Decembr. MDCCXVIII. en verba: Und es mag wegen der, von Mießlers Advocaten eingewandten appellationen, nach dem der Iudex ad quem ihn dießfals vor straffbahr nicht gehalten, wieder denselben allhier nichts erkandt werden.

IX.

Solent nonnunquam rei, omni prouocatione remota, ſuaſu aduocatorum periculum facere, et a reiectione a Senatu Aulico facta cum Clauſula de non attendenda vlteriori prouocatione, denuo immediate ad ipſius principis ſacratiſſimi perſonam appellare, et iudices quoque', eorumque actuarii effectum ſuſpenſiuum huic abuſui interdum tribuunt. Sed plane non peccant, qui aliud ſentiunt, et in cauſa contra appellantem nihilominus procedunt. Haec enim prouocatio ad eundem principem directa nulla eſt, et ſententiam a iudicato non ſuſpendit, ita pronunciauit Fac. Iur. Lipſ. ad acta a Regimine Weiſſenfels. menſe Febr. MDCCXXI. transmiſſa.

X.

Licet beneficio appellationis futurae in inſtrumento vel protocollo iudiciali ſit renunciatum verbis expreſſis, tamen prouocationem a renunciante poſt aliquod tempus factam negligere

gere vix poterit actuarius, id quod tum Iudicis ſuperioris autoritas atque honor, cui per priuatorum pacta non ſemper derogari poteſt, tum exceptiones et facti circumſtantiae poſt renunciationem forte natae, tum alia omnia, quae cognitionem et deciſionem ſuadent, expoſcunt.

XI.

Peccat actuarius, qui acta ad Dicaſterium mittit, vt ſententia concipiatur, cui vnus ex litigantibus, vel in genere vel in ſpecie ad ſuperiorem appellando, contradixit, ſed non peccat Collegium Iureconſultorum, quod nihilo ſecius ſententiam concipit, adiecta admonitione ſequenti: Es wird aber vor allen Dingen die fol. befindliche appellation vermittelſt Erſtattung eines Berichts gebührend aus den Wege geräumet, id quod, ſi fieri poterit, ante publicationem ſuſcipiendum erit.

XII.

Graui animaduerſione dignus erat Actuarius cum ſcabinis, qui haut ita pridem relationi, quo facta ſua iuſtificare annitebantur, hac clauſula iuramenti colophonem imponere haud erubeſcebat: Daß dieſes alles der Wahrheit gemäß, bezeugen wir hiermit an Eydes ſtatt, und ſo wahr uns GOtt helffen ſolle!

✲ ✲ ✲